



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Bonaventura Ep. 14. lulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Convertatur a mortuis, ut nihil diligas,
nisi Deum ipsum, aut certè propter ipsum:
convertatur etiam ad ipsum timor tuus: quia
perversus est timor omnis quo metuus aliquid
præter eum, aut non propter eum: sic &
gaudium & tristitia convertantur ad ip-
sum: hoc fiet, si non nisi secundum eum do-
leas, aut laeteris. S. Bern. de Jejun.

S. BONAVENTURA EP. 14. Iulii.

Contrà quām hodie fieri amat, BO-
NAVENTURAM mater ultrò Deo
& D. Francisco devovit. Apud hunc pie-
tatem doctrinæ ita junxit, ut dubiam al-
tera alteri palmam faceret. Magnum te-
stimonium Alexander de Ales est, non
peccasse Adamum in BONAVENTU-
RA. Ipse D. Thomas miratus raram in
viro doctrinam, bibliothecam suam ut
monstrareret, rogavit: ille digitum in
Crucifixum intendit. Tantus ad purpu-
ram tamen plus ipsâ purpurâ erubuit.
quin quod aliquoties indignum se puta-
vit, qui sacro Epulo accumberet? Sed
dignum esse Angeli monstrarunt, cùm
felicem sportulam ad os BONAVEN-
TURÆ ultrò portarunt. Moriturus
cùm vomitu laboraret, latèri cibum Di-
vinum jussit admoveri, & ecce inde ad
ipsum Cor se Eucharistia penetravit.
Quid jam miramur hoc (uti & caput)
multis annis à morte integrum ab omni
tabe

14. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 443
tabe repertum esse? Porrò, dum vixit
Virginis unicè studiosus fuit. Itaque au-
torem eum Sodalitatum inter Laicos,
quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam
ideò libentius lucubrations scripsit,
quòd is de *Virgine* plura suggereret. Pul-
sum quoque æris campani, quo exciti sub
noctem venerabunditer *Mariam* saluta-
mus, BONAVENTURA instituit, rectè, cùm
humanas linguis laudibus *Virginis* suc-
cumbere videret, in auxilium vocans fer-
rea ora & ferreas linguis. Ex vitâ *Thom.*
Bozio.

Non sic timent hostes visibiles castrorum
aciem, sicut aëreæ potestates Mariæ voca-
bulum, patrocinium & exemplum: pe-
reunt sicut cera à facie ignis ubicumque in-
veniunt crebram hujus nominis recordatio-
nem, devotam invocationem, solicitam
imitationem. S. Bon. in spec. B. V.

S. TUSCANA VIDVA. 14. Iulii.

Audite qui vestrâ jam expugnatâ,
alienam oppugnatum itis pudici-
tiam; pugnæ vestræ aleam ex aliorum
fortunâ colligite. In T U S C A N A M ocu-
los, sed castos conjicite: cui ad miracu-
lum formosæ nihil è toto muliebri mun-
do ita ut virginitas placuit. Ergo ad
nuptias nobiles imprimis adduci non
potuit; trahi, cogi debuit. Et jam li-
beraverat longiore metu mors conjugis
pavi-